



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Francisci Tvrriani Societatis Iesv, Aduersùs Magdeburgenses Centuriatores pro Canonibus Apostolorum, & Epistolis Decretalibus Pontificum Apostolicorum, Libri Quinq[ue]**

**Torres, Francisco de**

**Coloniae, 1573**

**VD16 T 1629**

Cap. XIII. Responsio ad ea, quae dicunt aliena esse ab historica veritate, ac primùm ad id, quod obijcitur de morte Iacobi ante mortem Petri: & quomodò Clemens epistolam transfigurauerit in ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29685**

epist. 1. Sicut Eutychanus & Gaius Pont. & idem Felix 1. in epist. ad Maximū epist. quæ in Ephesina Synodo recitata est ante Nestorium & Eutychem hæreticos, de dogmate fidei incarnationis in epistolis suis scripserunt. immo hoc ipsum sanctus Athanasius affirmat: sic enim in epistola ad Episcopos Africæ scripsit: Siquidē prisci Episcopi ab hinc annis propē centum triginta, tum qui Romæ, tum qui in nostra ciuitate pontificatum gesserūt, accusauerunt eos, qui filium creaturā dicerent, aut qui negarent eum cōsubstantialē patri. quomodō ergō dicere audent Centuriatores, Quæstio hæc, an filius sit minor patre, tempore Arii agitata est, si centum triginta propē annis ante tempora Athanasij & Arii, erant iam, qui id dicerent, qui ab Episcopis Romanis & Alexandrinis accusabantur? Sed quærent isti fortassē, cur de multo antiquioribus pontificibus apostolicis non meminit idem Athanasius, sed de illis tantū, qui propē cētum triginta annis ante etatem eius de ea quæstione scripsissent? quasi necesse sit, vt omniū pontificum superiorum epistolæ ad manus eius venissent, si posteriorum venerūt: quod perindē esset, vt si quis putaret, necesse esse, nos Menandrum comicum legisse, quia Terentium legimus: aut Ennium poetam, quia Virgilium. Extat ergō adhuc epistola Sixti 2. Episcopi Rom. qui ætatē Athanasij annis propē c. 20. anteceffit, in qua contra id, quod iam hīc tot ante Arium annis, vt Athanasius testatur hæretici de generatione filij ex tempore tradebant, scriptū est, non ex tempore, neq; post tempora filium Dei natum, sed ante omnia, inquit, tempora de paterno vtero inenarrabiliter generatum. Hoc autē aperte significat, ex substantia patris genitum esse, ac proindē consubstantialē, quod significat homouision. Extat item Eusebij Alexandrini, quem Anterus pont. scribit in epist. sua translatum fuisse ex parua ciuitate Alexandriam, sermo in ascensionem Domini inter alios 18. eiusdem authoris, quos nuper in libro vetustissimo bibliothecæ Cryptæ Ferratæ reperi, in quo vsus est verbo homouision, quod S. Athanasius in eadem epist. ad Episcopos Africanos, ait non fuisse in Synodo Nicæna inuentum, sed prius fuisse etiam ab Episcopis Alexandriæ usurpatum, ad asserendam contra hæreticos, consubstantialitatem filij Dei, Sic ergō ait Eusebius Alexandrinus: καὶ ἐκείνην ἐκ δεξιῶν τοῦ πατρὸς πλῆρωσας πᾶσαν οἰκονομίαν ὁμοούσιον ἡπαρχῶν ἕξαστα πατρὸς καὶ υἱοῦ καὶ ἁγίου πνεύματος τρισαγία ἐνδοξος εἰς τοὺς αἰῶνας, ἀμήν. & idem paulō supra, ἀλλὰ πέμψω ὑμῖν τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον τὸ ὁμοούσιον τοῦ πατρὸς, καὶ ἐμοῦ.

*Responsio ad ea, quæ dicunt aliena esse ab historica veritate, ac primum ad id, quod obijcitur de morte Iacobi ante mortem Petri: & quomodō Clemens epistolam transfigurauerit in personam mortui, & quæ causa & utilitas huiusmodi transfigurationis personæ, & quomodō sit vsitata in scripturis sanctis, & in magnis & antiquis authoribus, & quomodō inducere Apostolos iam mortuos loquentes in libris de constitutionibus Apostolorū.*



quos Clemēs in persona eorū scripsit, simile sit, vt scribere ad mortuū: & quomodo vrrung, ad imitationem personæ pertineat, & de exemplo antiquo scribendi ad mortuum: item quomodo Clemens Iacobum vocauerit Episcopum Episcoporum, & regentem omnes ecclesias. Cap. 13.

**S**ed tranſeamus iam ad alia fortasſè difficiliora, quæ iſti obijciunt, quæ minùs mirandum ſit, non intellexiſſe eos: eſt eo minùs repræhendere debuerunt. verùm faciunt more ſuo, id eſt, hæreticorum blaſphemantium, quæ ignorant, vt eſt in epiſtola Petri. A veritate, inquit, hiſtorica aliena ſcribunt, vt Clemens, epiſtola prima, quòd Petrus ſit primitiæ electiōnis Dōmini, cui ſoli primùm pater filium reuelauit, cùm Andreas priùs ad Chriſtum venerit: & poſteà Petrum adducit. Item quòd Petrus Clemēti mandārit, vt ad Iacobum ſcriberet, cùm non potuerit ignorare ante 8. annos illum fuiſſe mortuum, cùm frequenter ab vrbe Hieroſolymam, & inde Romam venirent.]

Haſtènùs Magdeburgenſes. Reſpondebo priùs ad hoc, deindè reuertar ad primum. Nō ignoro, q̄ variè ab ſcriptoꝝ ad hoc, quod de epiſtola Clementis ad Iacobum iam mortuum ſcripta, à Magdeb. nunc obijcitur, & ab ſtudioſis adhuc quaeritur, haſtènùs reſponſum ſit. Non opùs eſt, quæ illi reſponderunt, repetere, aut reſellere: quia, & ſi facile eſſet, non continuò ſequitur, vt meum ſit verum, ſi illa non ſunt. præſertim cùm magis illi laudandi ſint, quàm repræhendendi, qui quod potuerunt, liberaliter in cōmune contulerunt. Quarè magis in confirmandis noſtris, quàm in alienis confutandis verſandum mihi erit, ità vt non ex coniecturis, ſed ex propria ratione authoris in ſcribendo, totius quaeritionis explicationem afferam. Ac primùm, ità certè eſt, vt iſti dicunt, non potuiſſe ignorare Petrū, fuiſſe iam ante annos 8. mortuum Iacobum. Immo cùm hoc nos poſt mille quadringentos ampliùs annos non ignoremus, ſed potiùs ità eſſe, ex hiſtorijs cognouerimus, cui fiat veriſimile, ignoràſſe hoc epiſtolæ huius authorem? quem quidem veterem ſaltem fuiſſe, non credo eò dementiae Magde. proceſſiſſe, vt negēt, cùm tot ac tam veteres authores, vt loco ſuo docebimus, eam citent. Quòd ſi hoc ſciebat author epiſtolæ, quiſquis ille ſit, vt ſic interim loquamur, quorſum nomine Clementis ad Iacobum fratrem Domini grauiſſimam & ſanctiſſimam epiſtolam, omnis doctrinæ ac pietatis plenā, ſcribere voluiſſet? quo conſilio aut ratione uſus, hoc feciſſet? Etenim ſi grauiſſimi ac ſanctiſſimi Pontificis Clementis. authoritate & nomine doctrinā, quam in ea epiſtola tradit, commendare volebat, non debebat tam aperta discrepantia temporum, & hiſtorix repugnantia, fidem epiſtolæ derogare. Quid igitur illum coegit eò imprudentiæ delabi? Quarè, ſi longè incredibilius eſt, & magis à veriſimilitudine ac probabilitate alienū, vt vllus alius, quàm Clemēs, hanc epiſtolam ſcripſerit, profeſſò ratio ipſa cogit, tot præfertim ac tantis testimonijs veterum confirmata, confiteri, Clementis eſſe, cuius

Quarè ſit  
prorsùs incre-  
dibile, epiſto-  
lā Clementis  
ad Iacobū, ab  
villo fingi po-



cuius esse fertur, ex quo in manibus hominum ferri cœpit, & à catholicis legi, & inter decretales epistolas poni, atq; in causis & iudicijs ecclesiasticis produci & recitari. Neq; enim ignorabat B. Petrus, cum ad mortuum iussit scribere, neq; Clemens, cum iussu eius scribebat, quin statim vt lectores viderent, ad eum, quem omnes scirent ante B. Petrum esse mortuum, epistolâ scribi, causam diligenter quesituri essent, & quesitam reperturi. Immodò hoc fuit B. Petro propositum: imitatusq; in eo est sacram scripturâ. In scriptura enim, vt Origenes in 4. lib. *περὶ ἀρχαῶν* notauit, & eam obseruationem vt eruditam, Gregorius Nazianzenus & Basilius in eum librum cōtulerunt cum alijs eius obseruationibus pulchris & ingeniosis, quem Philocaliam nominârunt. In scriptura, inquam, sancta voluit Deus, inquit Origenes, vt essent quedâ offendicula, & ἀδύνατα in lege & in historia: nè si ipsius legis vtilitas αὐτόθεν, id est, ex ipsa lege appareret, & ipsa historiæ consequentia ac facilitas αὐτόθεν item appareret, continuò crederemus, nihil ibi aliud, præter id, quod in promptu erat, intelligi posse aut debere. Et paulò post, quandò scriptura, inquit, reperit secundùm historiam, quæ possent ad mystica accommodari, vfa est illis, abscondens multitudini altiorem sensum. Vbi autè consequentiæ spiritualium non erat apta ac consentanea horum aut illorum actio, tunc scriptura propter mystica attexebat historiæ non factum: aliquandò, quod neq; fieri quidem poterat, scilicet si secundùm literam tantùm accipiantur: interdùm quod poterat quidem, sed non erat factum. Similis, inquit, ratio intelligenda est in lege vt in historia: aliquandò enim ratio utilis apparet: interdùm quæ impossibilia sunt, fanciuntur propter curiosiores & studiosiores, vt dantes se ad studium inquiredi, iure putent sensum in his dignum oportere quærere. Deindè subiungit: Similiter factum est in euangelijs & Apostolis. nec enim, inquit, quæ texuntur, omnia totam historiam habent κατὰ τὸ σωματικόν factam, vt illud, Ductus est Iesus à diabolo in montem excelsum, & ostendit illi omnia regna mundi. Quis enim putet, oculo corporis, qui loco edito indigeret, omnia regna mundi vidisse? item, quid, inquit, à ratione alienius esse videtur, quàm, neminè in via salutare, quod simplices putant præcepisse Dñm Apostolis? illud præterea, Si quis te percusserit in dextra maxilla, alienissimū est à pbabilitate, cum is, qui percutit dextra manu, sinistram maxillâ percutiat, nisi præter naturâ percutiat: Similiter, eruere dextrum oculū, & cum duo sint oculi, quibus videmus, causam scandali ad dextrū tantùm referre. Deindè cum ait Apostolus, Circuncisus quis vocatus est, nè adducat præputium: primū, inquit, alienum est hoc à proposito sermone. præcipiebat enim de nuptis & castitate. Præterea, quis dicat, iniuste facere eum, qui propter fœditatē, quam pleriq; in circuncisione carnis inesse putant, curet adducere pelliculâ? & paulò post, Ergò de omni, inquit, scriptura sic sentimus, habere eam τὸ πνευματικόν, id est, sensum spirituale: sed non omnis scriptura habet τὸ σωματικόν, id est, sensum corporale & historicū. Transferamus nos has

D d obser-

tuisse: immò ratio ipsa cogat confiteri Clemēis esse.

Quò Petrus imitatus sic scripturâ, cū iussit Clemēti scribere ad Iacobum iam mortuum.

De obseruatione Origenis in scripturis ex Philocalia eius.

Exēpla, quibus in locis non testamenti habeat scripturam sensum spirituale, & non historicū.



Quid sibi vo-  
luerit Petrus,  
cum ad Iaco-  
bum mortuū  
iussit scribe-  
re, cum alio-  
qui à ratione  
alienum vide-  
retur.  
Esa. 2.

Prouer. 27.

De transfigu-  
ratione perso-  
na vsitata in  
scripturis,  
qua vsus est  
Clemens ius-  
su Petri.  
1. Cor. 3.  
1. Cor. 4.

Matt. 20.

1. Cor. 1.

obseruationes ad descriptionem epistolę Clemētis ad Iacobum, fateamurq; videri quidem alienam esse à ratione, vt illa quę in scriptura sancta Origenes notauit. Quid enim à ratiōe magis alienum, quàm ad mortuos scribere, reñam qd illis prodesse potest? aut quis tabellarius ad eos mitti? aliud nāq; est, absentem esse aliud, mortuū. Aliud ergò B. Petrus voluit, cum Clemēti iussit ad Iacobum scribere iam mortuum: voluit scilicet transfigurare hęc in personam Iacobi cōsuetudine scripturę sanctę, cum propter alios, tum in primis propter reliquos Episcopos successores eius in ecclesia Hierosolymitana, vnde primū cępit euangelij p̄dicatio iuxta prophetiā Esaię: vt sic secum cogitarent, Si hęc princeps Apostolorum Clementi iussit, ad Iacobum fratrem Dñi scribere, quem primū Petrus, Iacobus, & Ioannes ordinā runt, qui iam desijt pastor esse, & corona ei tributa est: profectò nō propter illum iussit scribere, sed propter nos, quibus Salomon ait, Diligēter agnosce vultum pecoris tui, tuosq; greges considera. Nō enim habebis iugiter potestatem, sed corona tribuetur tibi in generatione & generatione: ad nosq; potius sub illius nomine iussit scribere, vt vel sic ad exemplum eius & formam imitandam omni tempore moneret & hortaretur. Solent enim, qui aliorum mores & vitam velut in scena in hoc seculo, imitando representant, eorum nominibus appellari. Sit hęc vna causa transfigurationis siue imitationis personę in hac epistola. Transfiguratione quoq; quę mutασχηματισμὸς προσώπου dicitur, vsus est Apostolus, vt idem interpretatus est, cum in epist. ad Corint. priore eos doctores arguit, qui cupiditate glorię schismata in ecclesiā introducebant, cum quisq; quos baptizabat, eorū baptismum de nomine suo appellaret. Cū enim, inquit, quis dicat, Ego quidem sum Pauli, alius autē, ego Apollō, nōne carnales estis, & secundū hominem ambulatis? & paulō post: Hęc, inquit, fratres transfigurauit in me & Apollō, propter vos, vt in nobis discatis, nē supra quod scriptū est, vnus aduersus alterum infletur pro alio. Quem locum interpretans Theodoretus, si nos, inquit, doctores ipsorum, qui p̄dicatiōis munus diuinitas accepimus, non imposuimus vobis nostrorū nominū appellationes, sed potius, vt à Christo cognomena sumeretis, rogauimus, videte, q̄ impium sit, quod isti faciunt. hoc enim significat, quod ait, Vt in nobis discatis nō supra quod scriptū est, sapere: scriptū est enim, Si quis vult in vobis esse primus, erit omnium nouissimus. Hactenus Theod. Quod ergò dixerat Paulus, Cū enim quis dicat, Ego quidē sum Pauli, ego autē Apollō: nō erat verū secundū historiam: Paulus enim neminem Corinthiorū baptizauerat, nisi Crispum & Caium, vt idem testatus est: in se tñ hęc trāsfigurauit ob aliam causam, vt explicatū est. Ac clariū adhuc Photius Constantinopolitanus sic totū hunc locū interpretatus est: Propter vos, inquit, transfigurauit hęc in meipsum & Apollō, nē vos molestia afficerem, si nominatim reprehenderem. (volebat enim Paulus corrigere eos, & non contristare) Per transfigurationem ergò, inquit, vt trunq; facere licuit, si vultis & corrigi, & repræ-  
hensi-



hensioñe ad correctione adhibendam non grauatè audire. Fecit autem hoc Paulus, nè personas nominatim reprehendès, affectione quapiã, aut maleuolentia hos dissimulare, illos non dissimulare videretur. Præterea etiam, nè in hac distinctione, quos nominatim reprehenderet, eos ad desperationem cogeret, aut irã vel contentione magis incenderet: quos verò non nominaret, eos tumidiores ac amentiores efficeret: idcirco non est in eos inuectus nominatim, sed potius in se & Apollo repræhensioñe trãfigurauit. Haftenus Photius. Cur ergò nõ existimemus nos, hanc quoq; ratione accessisse, vt B. Petrus epistolam de morte sua & doctrina, ad omnè Episcopũ pertinente, in Iacobũ iam mortuũ transfigurare, Clemèti iuberet: nè si ad Simonem Episcopũ Hierosolymitanũ, qui B. Iacobo successerat, scribere iussisset, aut ad alium quempiam, vt Marcũ Alexandria Episcopum, aut Anianũ Antiochiã, aut alium, videretur fortassè magis eum diligere, aut honorare, & æmulationis, vel inuidiã, vel suspicionis materiam præbuisse, aut rursus is, ad quẽ scriberet viuentè, magis doctrina & præceptis, quã in ea ipsa epist. tradit, indigere existimatus esset, quod erat magis adhuc inuidiosum & suspectum. An ne parui momenti hæc cautio erat? quis tam obtusa mētis acie sit, qui sic sentiat? Sic igitur hæc altera causa transfigurationis, τὸ ἀναλόγητον, quæ fuit causa, cur etiam Cicero, vt ipse ait, in libris περὶ τῶν νεκρῶν, eos disputantes induceret, qui iam erant mortui. Alterum exemplũ transfigurationis in aliã personam, est apud Paulũ in epist. ad Thessal. cùm illa, quæ in eos conueniunt, quos aduentus Dñi vltimus viuos reperiet, in personam suam quasi tunc viuentè, & in alios similes transfiguratur. Hoc enim (inquit) vobis dicimus in verbo Dñi, quia nos, qui viuimus, qui residui sumus in aduentu Dñi, non præueniemus eos, qui dormierunt. Notauit hoc Orig. lib. 5. contra Celsum. sic enim ait: Paulus, vt vita tunc fruens, ac vigilãs, & à mortuis alienus, hæc loquitur. Deindè cùm pter se & sui similes, vel alios sciret in Dño mortuos, illud subiecit: Et mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi: deindè, nos qui viuimus, qui relinquimur, simul rapiemur cū illis in nubibus obuiam Dño in aëra. Haftenus Orig. Vt igitur hæc Paulus loquitur, quasi tunc viuat in aduentu Dñi ad iudicium, cùm erit iam olim mortuus, vt nunc est, sic Clemens ad Iacobũ iussu B. Petri scripsit, quasi tunc Iacobus viueret, cùm erat iam mortuus. Hunc quoq; locũ obseruauit idè Magnetes, quem supra memini, in libro 4. apologiarum contra Theosthenem euangeliorum calumniatorem. reddit enim rationem, cur se hoc loco Paulus alioqui viuentè mortuis annumerauerit, ὄντων γὰρ ἄριστος φιλιππος, καὶ τῶν ἁποστόλων ἀγαπῶν τὴν συγγενεῖαν δοκῶν, id est, quia sic, inquit, fit, vt videatur aliquis amicus quibus se annumerat: eosq; qui sui ordinis sunt, diligere. Nihil autem interest, annumerari viuentem mortuis, an mortuum viuentibus. Sic ergò, cùm beatus Petrus ad Iacobum fratrem Domini & Episcopum Hierosolymitanũ iam mortuum, tanquàm ad viuentem scribere iussit, admonere voluit de amicitia & cõiunctione eius cum ijs, qui post eũ

*Causa grauis  
sima scribè li  
per trãfigu  
ratioem per  
sona ad Iaco  
bũ iam mor  
tuum iussu  
Petri de do  
ctrina ad oēs  
episcopos perti  
nente.*

*1. Thef. 4.*



in sede eius viuerent, eiusdem dignitatis ac loci confortes. in quo simul admonebat, quantum præsidij & adiuuenti in tanto amico constitutum esset: & quanto perè ad morum ac vitæ eius similitudinem, qua nihil magis ad amicitiam illicit & attrahit, contendere oporteret. Sit hæc quoq; alia causa transfigurationis personæ. Deindè cum mandat princeps Apostolorum Clemèti, vt ad Iacobum fratrem Domini mortuum de morte sua scribat, clarissimum testimonium resurrectionis præbet: quòd eo tempore inter tot persecutionum flammæ & gladios, & tot martyrum cruciatus ac tormenta valdè necessarium erat. Quis enim, cum legeret, scriptam esse epistolam ad Iacobum iam mortuum, non statim simul intelligeret, ita illum quidem mortuum esse, vt tamen viueret? sicut Apostolica constitutio à Clemète Rom. nomine Apostolorum literis mandata in 8. lib. ait, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, non vt mortuorum, sed vt viuentium Deus: quoniam animæ, inquit, omnium apud te viuunt: & spiritus iustorum in manu tua sunt. Hæc igitur fuerunt causæ epistolam in personam Iacobi mortui transfigurandi, vt Apostoli verbo in re simili vtatur. Ex quibus illa mihi potissima videtur cautionis ac prudentis consilij & utilitatis plena, nempe inuidiæ declinatio, quæ fuit etiam causâ Paulo apud Corinthios transfigurandi similiter in personam suam, quod sibi alioquò minimè conueniebat. Deniquè simile exemplum ad mortuum tanquam ad viuentem scribendi, in alijs eiusdem Clemètis libris cernitur. Quid enim interest, mortuos inducere loquentes, quod idem author in his libris facit, quos de constitutionibus Apostolorum post eorū mortem scripsit, an mortuū inducere viuentem, ad quem scribas, quod in hac epistola fecit? In vtroq; enim est quedam factio, siue inductio personæ. In epistola enim facit iussu Petri Iacobū viuentem, ad quem scribit: in libris de Apostolicis constitutionibus facit Apostolos iam mortuos loquentes, quod genus totum ad imitationē personarum pertinet, quod in scripturis quoq; sanctis præsertim propheticis exemplū habet, vt à magnis authoribus notatū est. sicut Iustinus martyr, vt ceteros nunc taceam, hanc consuetudinē scripturæ sanctæ in Apologia secūda ad Antoninū, obseruauit, sic enim ait: Cum verba prophetarū, tanquā ex persona ipsorū dicta auditis, nè ab ipsis, qui spiritu affati sunt, dici existimetis, sed à sermone illo diuino, qui eos excitat. is enim aliquandò tanquā ex persona Dñi omnium, Deiq; patris loquitur: aliquandò tanquā ex persona Christi, aliquandò tanquam ex persona populorū, respondentiu Dño, aut patri eius, quale etiam licet apud scriptores vestros cernere, vt cum vnus sit scriptor omnium, personas tamen loquentes inducat. id quod nō intelligentes Iudæi, Christi aduentum non cognouerunt. Hæc Iustinus. Cum scriptores vestros dixit, Platonem in primis significare voluit. is enim sermones Socraticos, quos dialogos appellauit, κατὰ μίμησιν scripsit inducto personarum sermone ἑκκερῖσας ἑνικαί, id est, causâ benè res discernēdi, vt magnus Basilius in epist. ad Diodorū ait. Idē ante Platonē Alexamenus Teius

*Quæ potissima causa trāsfigurationis personæ in epist. Clemēt. ad Iacobum.*

*Observatio Iustini in faciēdo personarum loquentis in scripturis.*

fece-



fecerat. vtrunque Aristotel. in Poëtica scribit, & Athenæus in libro 13. *ἡ ἑπιτομή*. At Cicero quidem ex nostris magnus Platonis admirator & imitator, hoc præcipuè genere delectatus est, vt cum ipse alioquì sit scriptor, sermones tamen inducat personarum, & quidem loquentium interdum inter se, quæ non sunt locutæ, vt ipse in epistola ad Varronem, quæ est in 13. libro epistolarum eius, excusauit, hunc esse morem dialogorum: sed nihil refert, modò personis congruant, quæ inducuntur loquentes. Idem Cicero in libris de finibus bonorum, loquentes facit eos, qui iam decesserant, L. Torquatum, M. Catonem, & M. Pisonem, quia hoc ei visum est, vt ait, *ἡ ἀδύνατος*, id est, omni inuidia carere. Idem rursus illa, quæ de Academicis quæstionibus, inductis Catulo, Lucullo, & Hortensio, priùs scripserat & ediderat, quia personis illis nobiles quidem, sed non philologis, minimè conueniebant, ad Varronem, & se, ac tertium Atticum transtulit. & cum magnoperè dubitaret, an mittendi essent ij libri ad Varronem, de eoq; consilium Attici expectaret, sic de ea re ad eundem Atticum scripsit: Et si nomina iam facta sunt, induci vel mutari possunt. Ergò ex iudicio etiam Ciceronis limatissimo, cuius libri non solum sunt officina dicendi, vt ipse de quodam alio oratore in Bruto suo dixit, sed & scribendi, intelligi potest, non abhorreere ab ingenio polito scriptoris, alioquì vera scribentis, inducere nomina loquentium post mortem, vel iam inducta transferre ad alia. Sed redeo ad Platonem, quem Cicero deum suum vocare solet. Quid igitur mirum, aut à ratione elegantis & sapientis scriptoris alienum fuerit, si vt Plato de rebus grauissimis naturæ & morum, quid ipse sentiret, per personas Socratis, Parmenidis, Timæi, & in legibus Megilli aperit, sic Clemens Athenis eruditus, omni liberali doctrina politissimus, & Platonis per studiosus, illud genus scribendi ad nostra transferens, scribit de doctrina catholica ex persona Apostolorum, in quos illa tanquam in magistros ac prædicatores eius primos cadebat? Idem intelligendum est de epistola Clementis ad Iacobum fratrem Domini, quæ doctrinam B. Petri continet: in qua fecit se scribentem iussu beati Petri ad Iacobum, qui iam decesserat. Nihil enim refert, vt antè dixi, facere nomen loquentis, an nomen eius, quo cum ipse per epistolam loquaris. Vtrobique enim est imitatio personæ, quæ dici potest *μετασχηματισμὸν προσώπου*, siue *μετασχηματισμὸς εἰς πρόσωπον*. Sic igitur Clemens in persona Apostolorum lib. 7. cap. 4. Nos, inquit, duodecim Apostoli Domini, qui vnà sumus, has vobis regulas de omni ecclesiastica forma indicimus, præsentem Paulo, & Iacobo Episcopo, & reliquis presbyteris ac septem Diaconis. Hic quoque Iacobum Episcopum Hierosolymitanum iam mortuum viuentem facit, & præsentem cum 12. Apostolis & 7. diaconis: Rursus viuentem facit libro 8. c. 10. cum tradens formulam orandi pro Episcopis, & eorum ecclesijs in representatione prioris canonis Missæ, quo oratur pro viuis, Oremus (inquit in persona diaconi) pro Episcopo nostro Iacobo, & ecclesijs eius: Oremus pro Episcopo



scopo nostro, & ecclesijs eius. Est autem Clemens ille ipse, qui hæc iam Episcopus scribit: quare cum in persona diaconi iubeat orare pro Clemente Episcopo viunte, & in representatione eiusdem canonis, in quo oratur pro viuis, & in eis pro Clemente, iubeat orare pro Iacobo Episcopo, necessariò & manifestè Iacobum representat viuentem. Idem lib. 6. c. 14. iterum facit Iacobum scribentem post mortem vnà cum 12. Apostolis doctrinam apostolicam, 8. libris comprehensam. Ac rursus, iisdem 12. Apostoli cum 7. diaconis, in quorum persona Clemens hos libros scripsit, lib. 2. cap. 57. Postea, inquit, legantur acta nostra, & quæ sequuntur de ordine legendi in Ecclesia canonicos scripturæ sanctæ libros: atqui Stephanus vnus è septem diaconis, iam lapidatus erat, & Iacobus frater Ioannis gladio peremptus, vt in ijs ipsis Apostolorum Actis, quorum lectio ibi sancitur, continetur. Immo lib. 5. cap. 8. sancitum est ab Apostolis de honore martyribus Stephano & Iacobo fratri Ioannis, qui iam pro Christi nomine interfecti essent, adhibendo. Vt igitur Clemens in lib. 6. omnes Apostolos facit esse vnà, cum tamen in lib. 5. Iacobus frater Ioannis iam dicatur interfectus: & rursus in lib. 8. diaconos 7. cum Apostolis adesse facit, cum tamen in lib. 5. Stephanus iam sit lapidatus, sic Iacobum fratrem Domini viuentem facit, epistolam ad eum scribens, sicuti eundem quoque, vt antea dixi, in his ipsis libris de Apostolorum constitutionibus, viuentem fecit post mortem, & cum 12. Apostolis præsentem. Itaque cum Clemens horum librorum catholicam doctrinam, & constitutiones in eorum persona scripsit, omnes & Apostoli, & Diaconi, & Iacobus frater Domini, præsentem erant, & vt Clemens scribit, in vnum congregati, non quidem præsentem & congregati corpore, vt eos *μιμνησκῶς* facit, sed spiritu, & (vt Græci dicunt) *κατὰ γνώμην*, sicut Paulus in Epist. priorè ad Corinth. scripsit, Congregatis vobis cum spiritu meo: & in eodem loco, Ego quidem, inquit, absens corpore, præsentem autem spiritu. Vna itaque mente ac sententia sancti Apostoli Clementi, hanc doctrinam ac constitutiones in persona eorum scribenti, interfuerunt in spiritu: vt iam doctrina omnium sit, & cuiusque eorum. Sic Chryostomus in Encomio S. Ignatii martyris, citans Paulum, ad Titum de Episcopo, qualis esse debeat, scribentem: Cum Paulum, inquit, dico, non hunc solum dico, sed Petrum & Iacobum, & Ioannem, & vniuersum chorum Apostolorum. Vt enim in vna lyra varij nerui sunt in fidibus, vnus tamen concentus: sic in choro Apostolorum varij personæ, sed vna doctrina. *ἐπειδὴ καὶ εἰς ὁ τεχνίτης τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον τὸ κινῶν τὰς ἐκείνων ψυχὰς*. Si quidem vnus est artifex spiritus sanctus, qui illorum excitat mentes. Item beatus August. in libro 3. de consensu Euangelistarum cap. 7. cum Mattheus Hieremiæ testimonium de triginta argenteis producit, quod quidem non est in Hierem. vt Hieronymus quoque testatur, sed in Zacharia: sic etiam, inquit, insinuatum esse, omnes sanctos prophetas vno spiritu locutos, mirabili inter se consensione constare: esseq; singula omnium, & omnia singulo-

Act. 7. &amp; 12.

Quomodo  
erant præsentem  
tes oēs Apo-  
stoli, cum eo-  
rum const.  
Clemens scri-  
beret.  
1. Cor. 5.

Matth. 27.  
Zach. 11.



gulorum. Tameſi, vt hoc obiter obſeruetur, ex Hieremia potiùs credendum ſit, productum eſſe teſtimonium, non dico ex Prophetia Hieremiæ, quam in manibus habemus, ſed ex deſcriptionibus Hierem. quæ in 2. lib. 2. Mac. 2. Machab. cap. 2. citatur, quæ à Græcis ἀπογραφὰι dicuntur, id eſt, tabulæ actorum Ergò, vt ad propolitum reuertamur, qui mortem Iacobi contra epiſtolam Clem. quæ ad illum ſcripta eſt, obijciunt, obijciant quoquæ contra hos libros mortem Apoſtolorum, qui in hiſiſis libris loquuntur, & negent Clementis eſſe, quia rationem eius in ſcribendo non intelligunt. quod quidem in Magdeburgenſibus non magnoperè mirer, nihil enim noui faci- Nihil mirum, ſi negēt Mag-  
 verò, ſi qui ſunt, quos hæc mouent, & ſcrupulum ac dubitationem eis ali- deb. epiſt. Cle-  
 quam in epiſtolam iniiciunt, quanto illi quidem religioſiùs facerent, ſi ſtu- mentis ad Iac-  
 diosè inquirerent, quænam ratio ſcribendi ad mortuum, velut viuentem, cobum, qui  
 aliquando eſſe poſſit? atque id, dum aut per ſe non aſſequuntur, aut ab alio epiſt. Iacobi  
 non audiunt, interim in numero eorum ponerent, quæ etſi vnde aut quo- canonica ne-  
 modò ad nos profecta ſint, neſciamus, tamen ità ſine inuidia & conten- gant.  
 tione propter antiquorum patrum autoritatem tenemus, vt de eis du- Quid reſpon-  
 bitare nefas eſſe exiſtimemus. Itaque iſtis ſatis ſuperq; eſſe debebat, quòd dendū ſit ca-  
 hanc epiſtolam Clementis ſanctus Anacletus in prima & tertià epiſt. ſua tholicis, ſi quis  
 citat: quòd eius autoritate vtitur Euariftus: quòd eam rursùs Alexan- ſunt, qui de  
 der in epiſt. 1. citat: quòd Marcellus item in epiſt. 2. qui quidem antiquiſſi- epiſt. Clem.  
 mi & erudiſſimi ac grauiffimi Pontifices, vt non liceat dubitare, quin ve- ad Iacobum  
 ritatem hitorie ſciant, id eſt, mortuum eſſe Iacobum fratrem Domini & Qui grauiff.  
 Hieroſolymitanum Epiſcopum ante mortem Petri, idq; beatum Petrum & antiquiſſ.  
 ſcire & debuiſſe, & facile potuiſſe: ità etiam cauſam & rationem transfigu- Pont. autho-  
 randi inſcriptionem huius epiſtolæ in perſonam Iacobi iam mortui non ritate epiſto-  
 ignorâſſe, apud homines ratione & iudicio vtentes, certum eſſe debet. Ho- le huius vi-  
 rum igitur Pontificum grauiffimorum autoritatem ſecuti ſunt deinceps tur.  
 ceteri omnes Pontifices, qui autoritate huius epiſtolæ vtuntur: quos qui-  
 dem, vt concedamus, fortaiſe non omnes intellexiſſe huiusmodi rationem  
 inſcribendi literas μιμητικῶς, quam iſti poſt Petrum & Clementem proximi  
 non ignorârunt, eo magis nobis imitandi ſunt: vt diſcamus eorum  
 exemplo ea etiam tenere, quorum interdum tameſi cauſas & rationes  
 ignoremus, tamen antiquorum exemplo & autoritate contenti eſſe de-  
 bemus. Sed benè habet, quòd iam ſcrupuloſis iſtis explicata eſt ratio arti-  
 ficioſæ inſcriptionis epiſtolæ ad Iacobum fratrem Domini iam mortuum:  
 eſt enim velut dramatica, id eſt, facta ex imitatione perſonæ quaſi viuentis,  
 quæ nõ eſt κακοπλαſτία, id eſt, mala fictio, vt in conſtitutionibus Apoſtolorum  
 à Clemente ſcriptis, quibuſdam etiam ante annos propè 800. videbatur. vt  
 Photius Patriarcha Conſtantinop. in biblioth. ſua teſtatur. ſic enim ait, lo-  
 quens de libris Clementis, quos ſe dicit legiſſe, αὶ δὲ διατάχαι δοκοῦσιν ἐν ἰχθεῦσαι  
 κακοπλαſτία, ἢ οὐ χαλιπὸρ ἀποσκευάσασθαι, id eſt, conſtitutiones verò (inquit) vi-  
 dentur



*Quomodo beati  
discantur  
dolere casus  
nostros.*

dētur argui de mala fictiōe, quod nō est difficile refellere. scilicet de mala fictiōe argui videbātur, quia facit Clemēs, ab Apostolis iā mortuis cōstitutiones dictari & sanciri. Sed hoc facile, inquit, est refutare, nec amplius tamē Photius refutauit, tū quia nō hoc agebat: tū quia non opus erat, cum tritū esset hoc scribēdi genus. Satis nobis sit, q̄ vetus author acri iudicio & multa eruditiōe, ac lectiōe infinita, leue esse iudicauit, & facile refelli, quod accusari videbatur. Idē in epistola Clemētis ad Iacobū fratrem Domini cōuenit, quā qui de cōmentitia inscriptione arguunt, immō negant, facile à nobis hactenū refutati, & de imperitia cōuicti sunt. Sed rursus, nē qd hīc dissimulemus, quomodo (dicit aliq̄s) iussit Petrus Clementi, vt de morte sua Iacobo, iā mortuo nūciaret? Nō enim, inquit, multū doloris ex ea capiet, cum pbē sciat, me, quod p̄ pietate pati oportebat, soluisse. ergo nē mortui qui in cælo sunt, dolēt casus & acerbitates nostras? nō dolēt quidem more nostro, qui sunt omni lætitiā pleni ac beati: sed dolere dicūtur, vt ecclesiastici doctores tradunt, cum secundū electionem voluntatis ex charitate aliquid nolunt propter gloriam Dei, quod Deus etiam non vult. itā vt id nolle, actus charitatis sit, idemq̄ prēmium atque gaudium sancti. Vident itaque animę beatę, quicquid decet & delectat in Deo videre propter gloriam eius. Quare, sicut quod tyrannus in cæde Petri fecit, odium Dei, & dolor dicitur tropicē, à nostris dispositionibus translato nomine, quod est scripturę sanctę familiare: sic S. Iacobus, qui in Deo idipsum videbat cōtra voluntatem eius esse, similiter eodem genere locutionis dici potuit dolere: cum alioqui hoc ipsum nolle, ac dolere propter Dei gloriam, gaudium (vt dixi) ac beatitudo illi esset. Etsi illud simplicius dici potest, quod cum ad Iacobum tanquā ad viuētem, scribi beatus Petrus iuberet, dolor iste, qui repræsentatur, in personam factam aptē cadebat. Verū quia fortassis erunt, qui etsi in scribendo nomina fieri & posse & solere non negent, epistolam tamen ad mortuum scribi, itā absurdum & ab omni vsu & consuetudine abhorreere existint, vt nihil magis: si qui erunt eiusmodi, quia fortassis exemplo potiūs, quā ratione vlla, se de opinione sua dimoueri patientur, habent exemplum Magni Theodosij, qui epistolam ad Ioannem Chrysostrum, iam annis 35. vita defunctum, scripsit: quam Nicephorus Callistus in libro 14. historiarum suarum cap. 43. descripsit. Fuerat Proclus Constantinopolitanus rogatu populi ad Theodosium Imperatorem profectus legatus, vt Ioannem Chrysostrum in exilio multis iam annis mortuum, Constantinopolim reuocaret. Impetrauit Proclus Patriarcha. Misit sunt, qui sanctum corpus mortui ferrent. Cum verò indē, vbi situm humatumq̄ erat, mouere non possent, neque quicquam nitendo proficerent, subito in mentem venit imperatori, vt literas ad mortuum his verbis scriberet: Orbis totius doctori, & spiritali patri Ioanni Sancto, & aurei oris Patriarchę, Theodosius Imperator. Corpus tuum, itidē vt aliorum, mortuum esse putantes, pater honorande, transferre id,

*Insignis ac  
deuota Theod.*



id, & adducere ad nos, sicuti filij parentum amantes desiderauimus. cum autem debitum prorsus honorem, & quantam opus fuit, submissionem & modestiam eam in rem non contulerimus, imperialis fortasse fastus leges in rebus, quibus nos magis quam imperio ipso honestari decuit, secuti, non immerito voto nostro frustrati sumus. At tu, pater patrum reuerendissime, (nunc enim veluti viuentem alloquimur) ad desiderium potius nostrum, quam ad ceptum tuum spectans, veniam da pœnitentibus: qui longè magis, quam alius quisquam, pœnitentiam docuisti, & nos vicisti: idoneumq; castigationis desiderio flagranti, erroremq; suum agnoscenti animæ, eò quòd hucusq; reditum ad nos tuum detrectasti, exemplum exhibuisti. redde teipsum, queso, redde. Vt enim longiore mora & dilatione nos amplius etiam affligas, neque commiserationis visceribus tuis, nec amore & expectatione nostra dignum est. qui non solum corpus & cineres, sed solam etiam vmbra tuam cernere cupimus. Hactenus magni Theodosij literæ ad mortuum. in quibus cum Imperator ait, nunc enim veluti viuentem alloquimur, satis inde intelligi potest, cum beatus Petrus ad Iacobum fratrem Domini ante annos 8. mortuum scribi iussit, tanquam ad viuentem iussisse scribi. Solemus enim nos quandoquæ excitare mortuos: & eos, veluti viuentes, alloqui. Præterea, cum ait, Vt enim longiore mora & dilatione nos affligas, neque commiserationis visceribus tuis dignum est, mortuo, quem viuentem facit, tribuit, quod viuo congrueret, vt miseratione affici. Sic beatus Petrus, cum iussit Clementi, vt ad Iacobum de morte sua scriberet, Neque verearis (inquit) nè fortè multum de meo exitu contristandus sit, cum id me pro pietate sustinere non ambigat. Sed rursus si quis querendum esse putet, quemadmodum si ad Iacobum fratrem iam mortuum Clemens iussu Petri scribit, Episcopum eum vocat Hierosolymitanum, immò omnium ecclesiarum? ex ijs, quæ antè diximus, in promptu est respondere, vt viuebat Iacobus non corpore, sed spiritu: sic erat Hierosolymis non corpore, qui iam ad cælum migrauerat, sed spiritu. Itaq; vt ad Iacobum non corpore, sed spiritu viuentem Clemens scripsit: sic etiam ad Episcopum ecclesiæ Hierosolymitanæ scripsit. quòd si sancti Episcopi dum in terra sunt, ecclesias suas, charitate qua præditi sunt, sanctè curant, eo magis profectò curare eas ex charitate post recessum ab hac vita credendi sunt, quo est iam eorum charitas maior ac perfectior. Vndè beatus Petrus: Dabo, inquit, operam & frequenter, vt possitis (hoc enim significat hoc loco verbum Græcum ἔχω, quod frequens est) post obitum meum, horum omnium memoriam facere: promittit precaturum se pro eis post mortem, vt quæ ab eo audissent & didicissent, post mortem eius retinerent ac seruarent, vt facerent quod Paul. in epist. ad Heb. monuit, cum ait: Propterea abundantius oportet obseruare ea quæ audiuimus, nè fortè perfluamus. An non erat hoc etiam, exercere adhuc officium Episcopi & pastoris? precari, inquam, pro eis, & sollicitum esse? adhuc ergò Petrus curam

Ee pastoris

*dosij Imp. ad  
S. Chryso-  
stum mortuum  
epistola.*

*Quomodo Iac-  
obus mortuus  
us dicatur  
Epis. Hieroso-  
lymitanus.*

*2. Pet. 1.*

*Heb. 2.*



Quomodo ad-  
huc beatus  
Petrus in sede  
Romana præ-  
sident.

Synodus  
Chalced.

Quomodo Ia-  
cobus Episco-  
pus episcopo-  
rum & rector  
omnium eccle-  
siarum.

Archiepisco-  
pus Hierosol-  
ym. quibus  
provincijs  
præsident, & cui  
Metropolitani  
subiecti sunt.

pastoris gerit per preces: & præsidet per authoritatem successoris, & per doctrinam, quam tradidit & reliquit. Vnde Nicolaus primus Pontifex eruditissimus ac sanctissimus, respondens ad consulta Bulgarorum c. 106. Poscitis, inquit, vtrum secundum varios sensus eorum obedire, aut quid facere debeatis, (interrogauerant enim de quibusdam Græcis & Armenijs, qui multa ac varia apud eos loquebantur) verum nos, inquit Pontifex, non sumus sufficientes, sed sufficientia nostra ex Deo est: & beatus Petrus, qui in sua sede viuit & præsidet, dat quærentibus fidei veritatem. Hactenus Nicolaus. Sic beatus Iacobus, corpore quidem aliquo mortuus, viuebat, & præsidebat in Simone fratre cognomento Iusto Hierosolymitano successore. Huc etiam pertinet illud in conc. Chalced. actione 3. Sanctiss. Archiepiscopus magne senioris Romæ per nos & præsentem sanctam synodum vnâ cum beatissimo Petro, qui est petra & crepido ecclesiæ catholicæ, & rectæ fidei fundamentum, nudauit eum tam episcopali dignitate, & quæ sequuntur. Adhuc igitur præsidet beatus Petrus, & cum successore suo hereticos damnat. Rursus, qui absentes sunt, aliquandò propter charitatem, quam habent, iudicari & dici solent adesse. Vnde in cap. 1. concilij 2. Carthagin. Cum pro fide (inquit) & ecclesiastica vtilitate Episcopi conueneritis, licet non omnes, tamen charitas totum persuadet, vt qui corpore sunt absentes, nobiscum in spiritu videantur esse coniuncti: idcirco, Deo propitio, quia præsentis estis, pari professione fides ecclesiastica, quæ per nos traditur, in hoc cœtu glorioso primitus confitenda est. &c. Item Synodus Antiochena in præfatione ad Episcopos absentes, retulimus (inquit) ad vestram notitiam, quæ nobis rectè visa sunt, credentes gratiæ Christi, & spiritui pacis, quod ipsi conspirabitis tanquam potestate nobiscum præsentis, & orationibus adiuuantes, immò vniti nobiscum, & spiritui S. præsentis, & quæ sequuntur. Sic igitur ad huius figuræ exemplum Iacobum iam mortuum, id est, absentem, (mors enim pij ac sancti, quædam à nobis absentia est) propter eius charitatem & preces pro ecclesia, præsentem in ea ecclesia, quam viuens regebat, diuino artificio Clemens facit. Iam ad illud quod Magdeburg. in eodem loco obijciendum quoque putauerunt, quemadmodum Clemens vocet Iacobum Episcopum episcoporum, regentem omnes ecclesias, quæ vbique sunt fundatæ, petenda est responsio, ne eadem cum fastidio & sine necessitate repetamus, ex ijs quæ cap. 9. respondimus ad illud, quod similiter in epistola Eleutherij obijciebant de Episcopis Galliæ, quibus pontifex vniuersalem ecclesiam commissam esse aiebat. Episcopum verò episcoporum vocat, interpretans verbum Archiepiscopi: sic enim vocat eum S. Anacletus in epist. 2. Archiepiscopus verò, quibus Episcopis præest, eorum est Episcopus, vt est Hierosolymitanus Episcopus episcoporum trium Palæstinarum, vt ex Synodo Chalced. actione 7. intelligi potest: tamen Episcopo Cæsareæ, tanquam suo Metropolitanò, secundum canonem 5. concilij Niceni subiectus sit, vt etiam beatus Hieronymus



nymus in epist. ad Pammachium aduersus errores Ioannis Hierosolymitani notauit. quod quidem factum est, non solum, vt Pantaleon Græcorum canonum interpres notauit, quod ibi beatus Petrus Cornelium loco suo ordinasset: sed etiam, vt magnus Nicolaus in responsis ad consulta Bulgarorum cap. 92. scripsit, quia etsi, inquit, Hierosolymitanus præsul & ipse Patriarcha dicatur, & secundum antiquam consuetudinem & Nicenam Synodum honorandus sit, salua tamen, inquit, Metropoli propria dignitate. Deinde subiungit: Sed & in eadem sancta & magna Synodo nequaquam Hierosolymitanus, sed Aeliæ Episcopus dicitur: nam vera Hierusalem tantum in cælis est, quæ est mater nostra: illa verò Hierusalem terrestris, secundum quod Dominus prædixit, adeò funditus ab Adriano Imperatore Rom. destructa est, vt in ea neque lapis super lapidem sit derelictus: & ab eodem Aelio Adriano in alio loco est constructa. Hæc Nicol. Itaque non quia Clemens Episcopum episcoporum Iacobum appellauit, & omnes ecclesias regentem dixit, Pontificem vniuersalem eum esse significauit: sed id in vitroque voluit, quod antè explicatum est. Pontifex verò Rom. omnium episcoporum est Episcopus, quia omnibus omnium Episcoporum diocæsiibus præest, quas propter vnitatem pacis & fidei & capitis, Synodus Chalcedonensis can. 9. diocæsim vocauit, vt idem magnus Nicolaus in epistola ad Michaëlem & notauit, & probauit. de quo nos postea loco suo copiosius tractabimus. Quod verò hæc inscriptio de Iacobo Episcopo episcoporum, & regente Hierusalem & omnes vbique Ecclesias, vera sit & antiqua, ad testimonium veterum exemplarium, in quibus sic est Græcè: κλημιο̄ ιακώβω̄ τοῦ κυρίως ἀδελφῶ̄, καὶ ἐπισκόπων ἐπισκόπων διέποντι δὲ τὴν ἰερουσαλήμ ἀγιάν ἐκκλησίαν, καὶ τὰς πανταχῆ θεοῦ προνοίᾳ ἰδρυθείσας καλῶς σύν τε πρεσβυτέροις καὶ διακόνοις καὶ τοῖς λοιποῖς ἑπάσιν ἀδελφοῖς εἰρήνη εἰς πάντοτε. & ad fidem Rufini interpretis, qui sic legit, & interpretatus est, accedit etiam testis Sidonius Apollinaris, qui ante mille annos in lib. 6. epistolarum ad Lupum Episcopum Lirinensem sic scribit: Benedictus spiritus S. & pater Dei omnipotentis, quod tu pater patrum, & Episcopus episcoporum, & alter seculi tui Iacobus, de quadam specula charitatis, neque de inferiore Hierusalem, tota ecclesiæ Dei nostri membra superinspicis: dignus, qui omnes consoleris infirmos, quiq; meritò consularis ab omnibus. Hactenus Apollinaris. Nemo (credo) erit iã tam hebes, aut tam contentiosus, qui vel non intelligat, vel neget, hæc scribentem, ad illam inscriptionem epistolæ Clementis ad Iacobum respexisse. alioqui quorsum dixisset, Episcopus episcoporum, & alter Iacobus, & de Hierusalem meminisset? quo in loco simul interpretatus est, quid sibi velit, quod Iacobum vocat Clemens regentem omnes ecclesias, scilicet, de specula charitatis omnibus ecclesiæ Dei membris, id est, omnibus ecclesijs (omnes enim ecclesiæ particulares, sunt membra ecclesiæ catholicæ) prospicientem, qui esset di-

Ee 2 gnus;



gnus, ut omnes ecclesias regeret ac consolaretur, & ab omnibus ecclesijs confuleretur. Fertur præterea alia quædam epistola Græcè Clementis ex persona Petri ad eundem Iacobum, cuius meminit etiam Photius in bibliotheca sua, cuius principium, explanatio est huius inscriptionis: Sic enim incipit: *Ἰδὼς σε ἀδελφίς μου ἐν τῷ κοινῷ πᾶσιν ἡμῶν συμφέρον σπουδάζοντα πρόβλημα, εἰς τὴν καὶ δέομαι.* id est, quoniam te video frater ad communem omnium nostrum utilitatem prompto & alacri animo properantem, oro atque obsecro, & quæ sequuntur. Hoc ergo erat, Iacobum ecclesias omnes regere, omnium ubique ecclesiarum utilitati consulere, & omnia earum commoda prospicere, quod verbum *δέομαι*, quo usus est, significat. Hactenus existimo de descriptione epistolæ Clementis ad Iacobum fratrem Domini, qui iam à vita migraverat, non malè, neque ineptè responsum esse, sed potius rectè & aptè ad morem ipsius authoris. Sicut enim in alijs, ut antea dixi, quæ dialogicè scripsit, personas quæ interdum loquerentur, fecit sic etiam more dialogi in quibusdam epistolis personam Iacobi fecit, cui ipse tanquam absenti loqueretur: est enim epistola, velut altera pars dialogi, ut rectè ab Artemone, qui epistolas Aristotelis descripsit, dictum esse, author est Demetrius Phalereus, cum de epistolico caractere in libro *περὶ ἱμνῶν*, agit. Hoc etiam modo ac more alteram epistolam ad Corinth. ex persona ecclesiæ Rom. eundem Clementem scripsisse, testis est Hieronymus. Nihil autem interest, quòd ad factionem personę pertinet, fecisse personam, quæ ad Corinthios scripserit: an fecisse personam Iacobi in viuis, ad quam ipse Clemens tanquam ad absentem scriberet. Explicatum præterea est, quemadmodum rectè etiam & secundum consuetudinem, idem Iacobus rector omnium ecclesiarum appellatus sit. hæc enim videbantur ad enodandum difficiliora. Respondeamus iam ad reliqua.

*Responsio ad illud in epistola Clementis, quomodo Petrus dictus sit primitiæ electionis Domini, cum prius Andreas ad Christum venerit, & in quo consistat ratio primitiarum secundum scripturam: & de excellentia fidei Petro reuelata: & quomodo propter excellentiam fidei, meruit fieri primitiæ electionis Apostolorum: & quomodo in eadem epistola Clementis, dictus quoque sit idem Clemens primitiæ gentium, cum prius fuisset conuersus Cornelius Centurio: Item responsio de nota infamiæ, quomodo non tantum civilis, sed canonica pœna etiam sit, & de tradendo curiæ seculari. Cap. 14.*

22 **Q**uomodo Petrus sit primitiæ electionis Domini, cui soli primùm  
 22 pater filium reuelavit, cum Andreas prius ad Christum venerit, &  
 22 postea Petrum adduxerit.]

Hæc enim obijciunt quoque contra epistolam Clemen. nec hinc intelligentes quæ loquuntur, neque de quibus affirmant. Si enim ratione primitiarum  
 in-